Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26344
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sa sine utilitatem dic si nosti: propter quam circumci-
sus sis. Ego namque paratus sum demonstrare tibi quia
vulnus circumcisionis hoc tempore efficere non potest
ut filius sis. Recita nunc ipsam traditionem dei tradi-
tionem circumcisionis. IUDEUS. Ad Abraham patrem meum deus dixit.
Et tu ergo custodies pactum meum et semen tuum post te in ge-
nerationibus suis. Hoc est pactum quod observabitis
inter me et vos et semen tuum post te. Circumcide-
tur in vobis omne masculinum et circumcidetis carnem
preputii vestri ut sit signum federis inter me et vos.
Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Omne
masculinum in generationibus vestris tam vernacu-
lus quam empticius circumcidetur et quicumque non fue-
rit de stirpe vestra eritque pactum meum in carne
vestra in fedus eternum. Masculus cuius preputii ca-
ro circumcisa non fuerit delebitur anima illa
de populo suo quia pactum meum irritum fecit.
CHRISTIANUS. Traditionem istam iam dudum legi et re-
legi veneratus sum et numquam desinam venerari
que fuit revera traditio dei. Debemus autem
ego pariter et tu considerare intentionem eius
qui tradidit secundum dictum hoc quia cum dixisset
et circumcidetis carnem preputii vestri subiunxit
atque ait ut sit signum federis inter me et vos.
Primum hoc certe quero quid sit fedus cuius signum
erat circumcisio. Denique non ipsa circumcisio fedus
sed signum federis nuncupatur. Dic ergo quid sit fedus.
IUDEUS. Fedus amicitie compositio est animorum
invicem diligentium coniunctio est. CHRISTIANUS.
Recte respondisti. Creator creature federa-
tus est deus homini Abrahe per amicitiam coniunc-
tus est et illi mutue confederationis signum voluit